

1

2

29

30

31

32

33

DE
FRIDERICO MYCONIO

LIPSIENSIVM APOSTOLO

COMMENTATIO

**F R I D E R I C I I M M A N V E L I S
S C H W A R Z I I**

S. THEOLOGIAE DOCT. ET PROF. PVBLICI ORDINARII
ET ORDINIS THEOL. H. T. DECANI



LIPSIAE MDCCCLXXIX.

LITTERIS LANGENHEMIORVM HAERED.
ET KLAVBERTHIIS.

DE

FRIEDRICO MYCONIO

FIESIENSIAVM ALESTOPO

COMINATILO

FRIEDRICO IANNUELIS

SCHIANZI

E THYMOCLES DOCT ET THERAPÆTICÆ ORDINARII

ET ORDINIS THEORIÆ ET PRACTICÆ



LONDINÆ MDCCCLXXIX

KILIANIS LIBRARIAE UNIVERSITATIS MARBURG

ET EXAVERTIBUS



Ingens Dei beneficium ecclesiae christianaæ, opera Lu-
theri, qui doctrinam ab errore et superstitione re-
purgavit, collapsamque disciplinam restituit, cle-
mentissime concessum, ut quam plurimis regionibus et popu-
lis obtringeret, diuina sapientia mature ad eos misit viros do-
ctrinae euangelicae scientia instruissimos, eamque in dies
longius latiusque propagandi mira quadam cupiditate incen-
sos, qui uno ore Christum apud omnes profiterentur, do-
ctrinamque vere apostolicam, Apostolorum instar, ubique
disseminarent. Ut enim iubebantur olim Apostoli, prouin-
cias, quotquot poterant, peragrare, easque doctrina saluta-
ri de vero Deo, de Christo, de Spiritu Sancto, de fide, de
Sacramentis, de remissione peccatorum, mortuorum resur-
rectione atque immortalitate, hanc mortalitatem securita-
tis implere; ita renascente Evangelio non deerant viri apostolici,
quorum ope multae regiones veritate diuina et notitia salutis
diuinitas reuelata, diu occultata, sed tum denuo in lucem
proiata, impetriri possent, et qui, ut olim Apostoli, diuino

IV

Spiritu acti, suas partes non sorte et fato, sed prouidentiae diuinae, quae humana consilia sapientissime regit, numine sibi impositas, agebant strenue, et quae partim ex ore, partim e scriptis Lutheri, de doctrina coelesti hauserant, viua voce, quac plurimum et prodeesse et efficere solet, magna fide et dexteritate per vrbes et agros propagabant. Quippe suum cuique doctorem Euangelicum ciuitati et coetui dominus ecclesiae indulxit, vt olim indulssisse veteres perhibent Babyloニア Petrum suum, qui comitem sibi adscivit Iacobum minorum, Scythiae, Thraciae, Russiae Andream, Indiae, Phrygiae, Armeniae Bartholomeum, Asiae parti superiori Philip-pum, Hispaniae Iacobum maiorem, Asiae minori Ioannem, Parthiae Thomam, Macedoniae et Nubiae Matthaeum, Aegypto, Cyrenis, Libyae, Persiae, insulis Britannicis Simonem, Aethiopiae Matthiam, Mesopotamiae, Idumaeac, Arabiae, Syriae Iudam Thaddaeum, Iudeis in vniuersum Petrum, gentilibus Paulum, ipso teste Galat. II, 7. 8. 9. Idem Dei beneficium ecclesiae Euangelicae mature obtigisse, historia temporum illorum testis, condocet. Enumerat, praeter alios, fidus Euangeli praeco, Fridericus Myconius, in historia reformationis e codice illius manuscripto a Cyprianō edita, viros illos praecipuos, per quos Euangelium Christi plurimis regionibus denuo innotuit. Post Lutherum enim et Melanchthonem, viros summos, laudat in primis Bugenhagium, Daniae, vrbiū maritimātū et Pomeraniae, Amsdorium, vi-rum, vt ait, potentem in sermone et doctrina, Magdeburgi, Aepinum Hamburgi, Rheygum Luneburgi, Bonum Lubeca, Hesum et Moibamum Wratislauiae, quos duumiros praeclares doctos nominat, Speratum et Polianum Prussiae, Langium Erfordiae, Hausmannum Cygneae, Medlerum Numburgi, Spalatinum Altenburgi, Aquilam Saalfeldiae, Menium Isenaci, Pistorium Niddae, Fuldam Marpurgi, Schne-pium

psium Tubingae, Capitonem Argentorati, Frechtum Vlmae,
 Huberinum, Wolfhardum et Musculum Augustae Vind.
 Bernhardum Francofurti ad M. Brentium Halae Suev. Gry-
 naeum Basileae, Alegium Francofurti ad V. alias aliarum et
 vrbium et prouinciarum doctores Euangelii primos, eosque
 celeberrimos, qui de constitutione ecclesiarum Euangelicarum
 iis in locis paeclare sunt meriti. Longum foret, omnes de
 singulis ciuitatibus, regionibus et coetibus, hac in parte bene
 meritos, nominare. Eum vero, cuius immortalia in rem
 Euangelicam Lipsiensem extant merita, nominare, eiusque
 memoriam iustis celebrare laudibus, grati animi religio a no-
 bis exigit. Est is FRIDERICVS MYCONIVS, Gothanus sa-
 crorum antistites celeberrimus, cui in primis respublica Lipsien-
 sium erudita et sacra veras Euangelii, orbi Christiano redditu,
 origines deberet, et qui iure suo Lipsiensem Apostolus dici
 meruit. Insigni illa laude eum, applaudentibus omnibus,
 rerum ab eo Lipsiae gestarum gñaris, ornauit Iustus Jonas,
 cuius hanc in rem verba ex epistola ad Principem scripta die
 septimo Iunii anni MDXXXIX. quo ille, rogante ciuitate,
 annuente Electore, rem Euangelicam Lipsiae constituit, ex-
 habet Seckendorfius in historia Lutheran. "Addit Jonas, ita
 ille, in literis d. 7. Iun. hunc Myconium verum et utilissimum Apo-
 lum Lipsiensem esse, verum itidem Misniae Episcopum, qui
 plus utilitatis, quam anteriores omnes, allatus prouinciae
 illi esset; Intercedit idem pro Ioh. Pfeffingerio, Pastore Belge-
 rano, quem itidem magni faciebant Lipsienses, et consensu
 Electoris postea Pastorem habuerunt, anno 1543. doctoris
 gradu ornatum; laudat quoque Casparum Lohmerum, qui
 Oelsnitio venerat, non ingratum ciuibus, Myconio licet im-
 parem." Haecenus ille. Magni aestimamus hanc laudem,
 Myconio a viro probo, docto, verique amantissimo tribu-
 tam, hac potissimum de causa, quia socius, adiutor et tefis

laborum eius fuit. Nemo igitur eo de rebus a Myconio Lipsiae praedclare gestis, verius et locupletius, fideque dignius tam iudicium ferre, quam testimonium perhibere potuit. Quae quam vere ab eo dicta sint, videbimus.

De vita eius copiosius exponere nil attinet. Dedit eam Melchior Adamus in Vitis Theologorum, ex D. Antonii Probi oratione de vita et obitu illius, ita descriptam, ut Seckendorffius de eo sententiam ferat, dignissimam esse, quae legatur; dedit eam praeterea Sagittarius, in historia Gothana; dedit denique ipse partem eius in historia reformationis, quam antea nominauimus. Id modo in præsenti agimus, vt eum *Lipsiensium Apostolum verum utilissimumque fuisse*, commonstre-
mus, memoriamque tanti, et de sacris Lipsiensibus insigniter meriti viri, pii gratique animi religione duici recolamus, et gratae posteritati commendemus.

Dum aliquem ex numero doctorum ecclesiae in munere docendi Euangelium rite ac legitime constitutorum, venerando Apostoli nomine compellamus, nemo est, quin intelligat, nominis illius rationem a quadam similitudine Apostolorum peti, quae in eo sita est, quod more Apostolorum partim fontes notitiae salutis ac doctrinae coelestis aliis, eius haec tenus plane ignaris, primus omnium aperit, partim vero, quod plures ecclesias diuersis in locis insituit. Sint igitur Apostoli, eo vocabuli significatu et vsu, quo praeter illos nemo, quos Christus, ex quo ipse doctoris munere sanctus est, comites sibi elegit, quos ipse auctoritate diuina doctores verbi diuini constituit, quos communes omnium in veritate diuina saturari erudiendorum doctores esse iussit, quos facultate linguas peregrinas, quarum sermones edociti non erant, loquendi, fideque et virtute miraculosa instruxit, quos Spiritu S. illuminavit et sanctificauit, quos denique Deus ipse testes Christi ex mortuis resuscitati designauit, sunt, inquam, duodecim illi, cum

cum iisque Paulus, Apostoli primi ordinis, quibuscum neminem reliquorum Euangeli doctorum comparare licet, sed sint nobis etiam, sicut absque sancti et venerabilis nominis illius abusu, imo sint nobis consentiente scriptura s. Apostoli, secundi nimirum ordinis, sensu lato, et ad aliquam Apostolorum similitudinem, antea obseruatam, conformato, quo Paulo Epaphroditus Philippensem Apostolus, Phil. II, 25. Andronicus et Iunias ἐπίστημοι ἐν τοῖς ἀπόστολοις Rom. XVI, 7. et fratres, siue laborum in fungendo munere docendi confortes, quos hoc illuc ecclesias doctum ablegauerat, ἀπόστολοι ἐκπληρωτῶν δέξα Χριστῷ sunt, 2 Cor. VIII, 23. 18. 20. Eodem modo Myconius lustro Ionae iure dictus est Apostolus, similitudine ab his ducta, qui religionem Christianam huius ignaros omnium primi docuerunt, et rei Christianae variis in locis constituae et conservandae curam gesserunt. Verum in dignitatem apostolicam iniurii essemus, si quem hoc nomine compellandum esse censeremus alium, nisi dotibus ac virtutibus, doctrina deinde, moribus itidem et denique factis apostolicis maxime conspicuum. Haec si spectamus, Myconius profecto tanta nominis apostolici celebritate ac laude dignissimus est censendus.

Inter praeclaras Apostolorum dotes refertur veritatis et doctrinae puritatis proponendae defendendaque studium singulare, cum insigni quadam modestia coniunctum. 1 Cor. II, 3. Huius laudem ipsi tribuit Melanchthon, vir suminus, ipse humilitatis ac modestiae, quae decet Theologum, exemplar insigne, qui ipsum egregia eruditio et pietate praeditum, virum optimum, amicum sumimum, carissimum, praecipuum, sincerum νοήγνησιον, fratrem carissimum subinde appellat, ad eumque aliquando scripsit: „Ego te, ex quo te fama noui, semper amauai, qui non solum pure docere, sed etiam singulari modestia vti dicebaris, quae, meo iudicio, si quid

VIII

quid iudicare possum, dignissima est doctore christianaे religionis., Ipse modestissimum se gessit, dum de se ipso in historia reformationis scripsit, se omnium Euangelii doctorum, quos enumerauerat, minimum esse, et nil, nisi opera Dei in se praedicare. Et literis, tribus ante obitum mensibus, die nimirum Epiphan. Dom. scriptis, iam finitis, subiecit: Fridericus Mecum, Gothanae ecclesiae Christi inutiles seruus. Feci, quod potui, et tamen inutiles seruus sum. Tanto enim Domino, tantæ Dominae, Ecclesiae, sponsae filii Dei, seruire quis satis idoneus? Vbi vero non feci, quod potui, credo remissionem peccatorum per filium Dei, qui omnia fecit, qui dilexit me, et tradidit semet ipsum pro me. Non abiiciam gratiam Dei.

Doctrinae puritatem in eo in primis suspicisse et coluisse Lutherum credimus, dum ipsum Euangelistam in urbe Gothana appellauit, eumque ecclesiae commodo atque utilitati adeo necessarium iudicauit, ut, cum grauiter ille decumberet, non solum optaret, ut loco illius aegrotaret, sed et hoc in primis a Deo peteret, ne ille, se superstite, decederet, quod ipsi literis hunc in modum significauit: Vale, mi Friderice, Dominus non sinat me audire transitum tuum me viuo, sed te superstitem faciat mihi. Hoc peto et volo, et fiat mea voluntas. Amen. Quia haec voluntas gloriam nominis Dei, certe non meam voluptatem, nec copiam quaerit.

Ingens praeterea in eo fuit zelus et ardens spiritus Christum annuncianti, et quam plurimorum hominum animos notitia salutis, solo Christi merito partae, imbuendi, ut studio atque amore Christi impulsus, vbi cunque ipsi dicendi copia fieret, Euangelium mira hilaritate atque alacritate animi docuerit, ita, ut vere de ipso affirmari debeat, quod Paulus de se: ἡ γὰρ ἀγάπη τὸ Χριστὸς συνέχει ἡμᾶς. 2 Cor. V, 14. Si veritas Euangeli, ut ipsi verum suum decus veraque dignitas constet, vnanimi doctorum omnium, Apostolorum maxime,

con-

consensu profitenda est, ita nimirum Spiritu S. volente et iubente, ut omnes idem sentiant, idem loquantur, idem ubi que doceant, ne fiat ruptura concordiae in ecclesia per doctrinas, dissidiis et certaminibus doctorum in diuersum tractas, quos coniunctos esse decet vera in doctrina et iudicanda et explicanda consensione, 1 Cor. I, 10. haec sane laus Myconio debetur, qui veritatis rei sibi conscius, de collegis suis Gothanis, Thilone, Golharto, Merula, per annos vndeuinigi-
ti sibi coniunctissimis, quos nominat viros pios, honestos, doctos, fidos, assiduos, et se testatur: cucurrimus, certavimus, laborauimus, pugnauimus, vicimus et viximus semper coniunctissime et amicissime, ut admiratione afficerentur plurimi super illa rara fratrum συμβασιῶν Φιλαδέλφια et coniunctione. Ob fidem denique singularem in sustinendis doctoris Euangeli partibus Principi suo tam carus fuit, ut hic in literis, accepto de obitu Lutheri nuncio, ad eum scriptis, testimonium ei perhibuerit, ipsum in mandato munere tam ephori, quam doctoris, fidem et diligentiam praecaram ita sibi probasse, ut non solum multum inde voluptatis ceperit, sed etiam nihil magis habeat in votis, quam ut tam praeclarus ecclesiae doctor quam diutissime in ecclesiae verbique diuini vtilitatem superstes sit. Sed non ratas habuit Deus pii Principis preces. Paulo enim post instrumentum illud Christi electissimum decessit, cum annum ageret quinquagesimum sextum, secutus est Lutherum suum, quo et vultu habituque oris similiorem habuisse neminem, historia perhibet, die decimo octavo Februarii vita functum, statim die Septimo Aprilis, Luthero suo superstes septem dies.

Mittimus iam alias huius viri egregias dotes, ob quas parentatori suo D. Antonio Probo, Vinariensem antistiti quondam grauissimo, audit vir pietate excellenti, eruditione solida, iudicii dexteritate, animi candore, zelo ardentissimo, au-

etoritate et gratuitate singulari; et de doctrina eius apostolica quaedam afferemus.

Verum hacc repetenda est partim ex epistolis eius, quae supersunt, partim ex eius historia reformationis, partim ex actis eius et rebus gestis. Fidem ex ordine salutis in Papatu plane deletam fuisse, mature animaduertit, et flebilem ecclesiac flatum vel ob id solum deploravit, graphicèque descripsit statim ab initio historiae reformationis, passionem et satisfactionem Christi ut nudam historiam, veluti Odysseam Homeri tractatam esse, de fide, qua eius iustitia et sanctitas cum haereditate vitae aeternae apprehenditur, altum fuisse silentium. In his tamen tenebris mature, quod mireris, lux quaedam veritatis ei affulxit. Adhuc enim iuuenis in notissima illa cum Tezelio Disputatione Annaebergae super indulgentias habita, de qua postea dicemus, doctrinam apostolicam ita se tenere probauit, ut non satis mirari queamus, in tam spissis et plus quam cimmeriis istorum temporum tenebris tantam tamque claram Euangeli lucem iuueni inter Franciscanos delitescenti affulisse, sed ipse, ut habet Adamus, et ex eo Seckendorffius, aperuit, se talia a patre edoctum fuisse, admonitumque ut frequenter oraret, quod a solo Deo nobis gratis omnia dentur, et ille nos gubernet, si serio oremus, et sanguinem Christi esse unicum pretium pro peccatis totius mundi, et hanc fidem cuilibet Christiano esse necessariam, omninoque sibi persuasum, animoque suo infixum haberet *deglora* Theologicum, si tantum tres homines essent saluandi per sanguinem Christi, certo statueret, vnum se esse ex tribus illis, et contumeliam esse in sanguinem Christi, de hac re dubitare; indulgentias romanas esse retia, quibus venarentur pecuniam, et deciperent simpliciores, remissionem et vitam aeternam non posse emi pecunia. Egregium sane exemplum summae utilitatis et matura institutione paterna in religio-

religionis Christianae summa perceptae, quae in prouectiore
aetate fructus tulit vberrimos. Sed vnde pius ille Myconii
pater hauserit in infelicissima aetatis illius barbarie, et
veritatis christianaee inscita non oppido patet. Fuisse eum
haud dubie aut Waldensium discipulum, aut alioqui ~~Secundum~~
Adamus existimat, quales multi omnibus temporibus
in densissimis papatus tenebris fuerint. Et semper veritas
sibi ipsi constituit, euentuque confirmata fuit, nunquam dees-
se, vel defuturos esse, qui religionem salutarem et recte te-
neant, et pie sequantur. Rom. XI, 3. 4. 5.

Alio tempore item cum monacho quodam Franciscano, nomen ei fuit Iohannes Corbachius, Dusseldorpii con-
gressus, ad prouocationem coenobitae, hem, Friderice, quid
tua fides? confessionem fidei vere apostolicae egregiam dedit,
quam a Seckendorfio commentariis suis insertam non sine sum-
ma animi voluptate legi posse arbitramur. Etenim, rogo,
inter disputandum inquit, vt fundamenta fidei et spei
nostrae ex me audiatis; profitemur peccatores nos esse
omnes, animo et affectibus ad malum semper propensos; et
Dei voluntati repugnantes. Lex peccata nostra arguit, et
quantum ab imagine Dei in praeceptis eius proposita discre-
pamus, ostendit; agnitionem peccati dolor et metus iudicii
diuini sequitur; hoc ineuitabile est, nec ullum remedium
nulla etiam diuini consilii, an ignoscere nobis velit, notitia
habetur, nisi quam per filium suum in carnem missum, nobis
aperuit. Hic autem Dominus noster Iesus Christus gratiam
patris sui praedicat, dicit se ad saluandos homines venisse, et
medicinam afferre, et scriptura s. testatur, quomodo peccata
nostra Christus in se suscepit; hoc credendum est, et inde
vnicce expectari debet expiatio peccati; a Christo enim non
solum tolluntur peccata et mala nostra, sed et eius victoria,
resurrecio, iustificatio, sanctitas, liberatio, aliaque dona
nobis

nobis donantur; haec omnia fide acceptantius, et nos per Christum liberatos, sanctos, iustos, beatos et filios Dei esse confidimus, ista omnia fide acquirimus, absque fide nihil eorum tenemus. Hanc fidem sequitur Spiritus S. is effundit in corda nostra charitatem, inde fructus spiritus ex spontaneo proueniunt corde, quos Paulus Gal. V. enumerat: haec omnia in nobis efficit Euangelium et verbum Dei. Taceamus reliqua. Instante mortis periculo eo, qui et ipsi emortualis fuit, anno, fidem suam plane apostolicam duabus epistolis declaravit, altera ad Ratzenbergerum, ad Rorarium altera. Vtramque Seckendorffius in libro III. commentariorum suorum exhibet, in quarum posteriore ita de fide sua, ut eius confessione et quoquis illius verbulo mirifice delectemur: Obleto me cibo et manna coelesti, et in lectulo lego nunc Psalmum: Quare fremuerunt gentes? et adoro paruum filium, qui datus est nobis. Benedictus Deus, qui in his doloribus ita me recreat, ut pro�tus obliuiscar, me aegrotum et corpore afflitum. O Domine Iesu, quid possumus tibi?

Fidem vere apostolicam noster in Anglia quoque testatus est, anno seculi decimi sexti tricesimo octauo, quo Principum Germaniae Euangelicorum legationem ad Henricum VIII. Angliae regem obibat, in scripto, suo et reliquorum legatorum nomine Regi exhibito, vbi de sacra coena sub vtraque, de missa Pontificiorum, et de coniugio, clericorum maxime, plane secundum normam doctrinae Christianae ab Apostolis traditae et confutationem errorum, et veritatis explanationem sine obscuritate et ambiguitate dedit. Scriptum illud, cui indicem fecit: „Legatorum Germaniae ad Regem Epistola, aduersus ablatum calicem, missas privatas, et Clericorum coelibatum,“ in Burneti historia reformationis eccles. Anglic. parte I. inter Addenda loco. VII.

ex

ex autographo editum, extat. Fidei denique suae dexteritatem et puritatem doctrinae in arduo illo Concordiae Wittebergensis negotio perficendo egregie demonstratam dedit. Cum enim Theologi superioris Germaniae, e quibus vel solum Bucerum et Capitonem nominasse sufficit, in itinere, concordiae cum Luthero potissimum in doctrina de sacramento coenae Domini ineunda causa suscepimus, Gothae a Myconio liberali hospitio exciperentur, hic summam doctrinae controuerse breuiusculo scripto eam in rem composito, et hospitibus exhibito, tanta claritatis luce perfudit, ut illi, qui adhuc dubii ancipitesque haerebant, hoc perfecto, illico faterentur, eam de coena doctrinam, quam hic cum Luthero tenebat, in scriptura sacra et patribus verae puraeque ecclesiae contineri; quae res animos ad veritatem amplectendam ita praeparavit, ut deinde totum illud negotium vniuersitatem Wittebergae laete succederet, et schismata ecclesiae Euangelicae tum quidem impediweretur. Testimonium praeterea fidei et doctrinae Euangelicae sibi vere probatae dedit subscriptione Articulorum Schmalcaldicorum, suo et Menii sui nomine facta anno post initiam Wittebergae concordiam, et ideo ab auctoribus Formulae Concordiae praecipuis Theologis illius temporis adnumeratur. Nec possumus silentio praeterire, quae idem ille Menius de fide et doctrina Friderici mire apostolica, memoriae prodidit in parentatione illi die post obitum dicta, in qua, laudata eius doctrina et fide, eam imprimis in articulo iustificationis egregie ait conspicuam, et cor eius eo penitus immersum et velut ebrium fuisse, ita ut etiam in somno et in somniis sanctissimas de eo cogitationes habuerit, et de nulla alia materia libentius locutus fuerit, omnes alias auersatus.

Praeclara deinde eius sunt facta apostolica. Apostolorum erat, semina Euangelii vbiique terrarum spargere, et notitiam Christi animis hominum, quoconque pedes ferrent, inserere;

B 3

idem

idem quoque a Myconio factum esse, historia summa cum illius laude commemorat, Bucholzii, cuius ciues eum a Iohanne El. pastorem ecclesiae precibus flagitarunt, sed impetrare non potuerunt, Annaebergae, Zwiccauiae, Vinariae, Gothae, alibi. Lectu periucunda sunt, quae de hoc genere factorum apostolicorum in historia reformationis memoriae prodidit. Ter, ait, cum Electore Sax. Iohanne Friderico, se in Belgium, sive inferioris Germaniae partes prosectum esse, Coloniam Agrippinensem, Ducatus Iuliensem et Cliensem perlustrasse, ibique Euangelium de poenitentia et remissione peccatorum praedicasse, bis eundem in Saxoniam inferiorem, seu Westphaliam, secutum, Dusseldorpii concionatum esse magno cum populi applausu, licet non sine vita discrimine, Brunswigae, Cellis Luneburgicis, Susati, Esseniae, et alibi, doctrinam euangelicam publice proposuisse, et pro concione dixisse, Comitis Protestantium Schmalcaldicis quater concionatorem interfuisse, in Comitiis Imperii Norimbergensibus et Francofurtanis se ad consilia et opera adhibitum esse, ibique spiritum Dei per se multa fecisse utilia et bona, consilia se cum Melanchthoni imprimis omnia communicasse, eiusque consilio et prudentia mirifice adiutum esse, quibus superaddimus, quod duobus ante obitum annis in Comitiis Spirensibus Myconius cum Iusto Iona et Urbano Rhegio Electoris Saxonie concionator fuit. Quam docendo proposuit fidem, eam quoque disputando defendit, more Apostolorum, qui non satis habebant dixisse, quae a Spiritu S. acceperant, sed etiam illa a se edocentes in doctrina salutari magis magisque confirmare, et contradicentes redarguerentur. Iure igitur interfacta eius apostolica referimus disputationes eius cum duobus Monachis, Francisci regulam secutis, Tezelio et Corbachio, cum illo Annaebergae, cum hoc Dusseldorpii institutas, in quibus aduersarios clamatos vicit sola vi diuinae et vocis et verita-

veritatis. Tezelio, qui omnibus metum incusserat, diris illis
 comminationibus, se clausurum ianuam coeli, iam latissime pa-
 tentem, nisi indulgentias coemerent, et extincturum radios
 et splendorem solarem, resistere ausus Myconius, qui eum
 Annaebergae, quam, ut reliquas Saxoniae ciuitates clamori-
 bus suis terrebat, per biennium indulgentias venundantem vi-
 derat, et omnem satisfactionis vim et efficaciam in emendis
 indulgentiis ponere audierat, arrepta indulgentiarum Papa-
 lium appendice: Pauperibus dentur gratis propter Deum, cum
 illo, tanquam altero Simone Mago, donum Dei pro parata
 pecunia vendi et comparari posse rato, congressus est. Initio
 petiit, ut sibi vtpote pauperi, indulgentiae gratis dentur; se enim
 peccatorem esse vere pauperem affirmauit, et indigere gratui-
 ta remissione et participatione meriti Christi. Sed renuit in-
 indulgentiarum nundinator precibus submissis locum dare, cau-
 sam interferens, quod ii tantum indulgentiarum et thesauro-
 rum ecclesiae, adeoque meritorum Christi, participes fieri pos-
 sint, qui manus porrigerent auxiliatrices, siue, quod idem est,
 qui nummos soluerent. Verum pressit Myconius appendi-
 cem diplomatis Papalis: Pauperibus dentur gratis propter
 Deum; gratis igitur sibi indulgentias dari postulauit; nihil
 tamen feciis repulsam rulit a monacho, qui se nec aliorum
 precibus, vt petitioni Myconii, adolescentis ingenio et fa-
 cundia aequalium multos longe superantis, et omnino digni
 aliquo beneficio praecipuo annuat, nec pauperem, cui nec
 Deus, nec Pontifex, gratiam deneget, propter pauculos num-
 mos reiiciat, permoueri passus est, sed persttit in sententia
 nundinator, pecuniam esse soluendam. Cum igitur alii My-
 conio in aurem insurraarent, vt saltem aliquid daret, alii ipsi
 aliquot nummos emendis indulgentiis offerrent, hic nec dare
 postulatum, nec oblatum accipere voluit: Si enim, ait, em-
 tas vellet indulgentias, posse libro diuendito emere, sed gra-
 tuitas

tuitas velle propter solum Deum, quas si ille sibi negaret, redde-
ret rationem Deo ob neglectam salutem propter aliquot num-
mos; se gratiam Dei, et remissionem peccatorum fitire, et fa-
tis habere, quod adhuc Deus sit in coelo, qui peccata remittat
poenitentibus sine pecunia, propter solius Christi, filii sui ly-
tron, secundum dictum consolationis plenissimum: Viuo ego,
inquit Dominus, nolo mortem peccatoris, sed ut conuertatur,
et vivat. Testis rei est Probus apud Adamum et Secken-
dorffium. Alterum certamen Dusseldorpium cum monacho Co-
loniensi, ordinis Francisci, Iohanne Corbachio, cum Electo-
ratus Saxonici haeredem, Iohannem Fridericum, anno
MDXXVII. cum Sibyllam Cliuensem matrimonii foedare sibi
iungere vellet, in itinere sequeretur, iniit in hospitio Anarici
Baronis de Wildenfels, e proceribus Saxonis, prouocatus
ab aduersario, decem articulis, non sine acri inuectiva in no-
vos praedicatores illuc non vocatos, ad credendum propositis,
addita promissione, si quis erroris se arguere vellet, se auditurum,
et ex scripturis s. informationem suscepturnum esse. Dies igi-
tur disputationi inter illum et Myconium instituendae dictus
est XXIX. Februarii, praesentibus Iohanne Friderico, Saxo-
nicis Cliensibus consiliariis, nobilibus, literatis, ciui-
bus multis. In illa Myconius confessionem fidei edidit, cu-
ius antea mentio facta est. Monachus primo excandescens et
paulo inurbanus se gerens, tandem vietas dedit manus, pla-
cere sibi a Myconio dicta, et recta omnia esse fassus, addita
partim epicrisi, si haec praedicas, veram Christianorum fidem
praedicas, partim petitione, ne sibi ignominiam infierant, et
viatum se esse iactent; actum enim illum non pro disputa-
tione, sed tantum, propter absentiam iudicis, pro colloquio
habendum esse. Disputatio illa, referente Adamo, haud ita
multo post foras data est. Myconius, qui superior ex hoc
certamine reuertit, in historia reformationis de eo refert, se

Dussel-

Dusseldorpii Christum magno cum plausu electi populi Christi praedicasse, ibique cum Monachis et Sophistis Colonensibus disputasse, eosque eo adactos esse, ut Christum fidelium salvatorem, infidelium autem iudicem esse et manere permisirint.

Concordiae ut ipse fuit amantissimus, ita ad eam in ecclesia conciliandam et stabilendam exhibitus est bis paulo ante reformationem Lipsiensem. Dissidiis inter Theologos Euangelicos superioris Germaniae, Argentinenses puta, Villemenses, Augustanos, Francofurtanos, Reutlingenses, alios, et Saxonicos in doctrina de Sacramentis et absolutione ortis, in qua Heluetiorum opinionem a sensu scripturae alienam sibi magis probari, illi haud obscuris indicis prodebat, metuendum erat, ne dissensio, si manifestior et diuturnitate temporis insanabilis fieret, in magnum ecclesiae et dedecus et detrimentum cederet, principumque Euangelicorum, qui societatem suam foedare confirmatam cupiebant, vires infirmarentur, horum igitur in primis auctoritate et sua consilia henotica agitata sunt, quae tandem exoptatum euentum habuerunt. Sancta enim est concordia inter dissentientes Wittebergae anno MDXXXVI. quae vulgo Concordia Wittebergensis audit; in qua componenda Myconium praecipuas egisse partes, ex historiarum monumentis constat. Tacemus hic, quae de preparatione animorum per eum facta antea diximus. Hoc vero silentio non est praetermittendum, Myconium, ne irrita caderent coepita iam unionis et confissionis consilia, Theologos illos e superiori Germania aduentantes Wittebergam secutum, eius ineundae et confirmandae auctorem suasoremque in primis extitisse, formulae de utroque noui foederis sacramento et absolutione constitutae subscriptisse, et historiam illius summa fide expositam reliquisse. Anno interiecto iterum ad concordiae in ecclesia stabilendae negotium, maius quidem illo,

C

sed

XVIII

sed successum si spectes, irritum, adhibitus est. Henricus VIII. Angliae rex se et communionem fidei et foedus amicitiae Principum et Ordinum Germaniae Euangelicorum vehementer cupere simulabat. Rogauit igitur anno MDXXXIV. Hamburgenses, vt legatos ad se mitterent, qui de religionis causa sententiam dicerent, qui et miserunt ad eum e collegio Senatorum quosdam, et cum iis Iohannem Aepinum, sacerorum antistitem, ita rege petente. Myconius quoque huius legationis mentionem facit, et Aepinum in Anglia cum Episcopis de Confessione, sed frustra, egisse ob miram Henrici simulationem scribit. Post legationem anno insequente ab Anglo ad protestantes, Saxonem in primis, missam, et Melanchthonis profecitionem in Angliam frustra expeditam, ille anno MDXXXVIII. iterum perii, vt legatio promissa vterius haud differretur; mittitur igitur, vt precibus illius satis tandem fiat, mora haud interiecta, cum Francisco Burchardo, El. Sax. Cancellario vicario, et Georgio Boyneburgo, equite Hasso et Iurium Doctore, Fridericus Myconius, qui, teste ipso, per sex integros menses aestios in Anglia haefserunt, et Regis iussu cum tribus Episcopis, inter quos eminet Thomas Cranmerus, Archiep. Cantuar. et quatuor Theologiae Doctribus, Deio, Heatho, Wilfono et Barnesio, de summa religionis secundum ordinem articulorum Augst Conf. egerunt, quos fere omnes ipsis probatos, eorumque confessione, paucis subinde verbis paululum immutatis, confirmatos esse scribit, vt spes omnino fuerit, Christum victoriā reportaturum esse. Insiſſe enim Regem, vt Euangelium pure praedicetur vbiq[ue]; interim sacramentum coenae Domini sub vna, sacrificium missaticum, confessionem auricularem abrogare, coniugiumque clericorum admittere noluisse, eiusque consilia eo tetendisse omnia, vt Antichristus amplius in templo Dei sedeat, rexque Papa sit, et opibus clericorum ad

se

se raptis diuitias cumulet, et sanguine humano, cuius infas-
tiabilis fuerit, se satiet; neque enim Herodem aduersus
Christum, neque Neronem aduersus Apostolos sanguinolen-
tiores fuisse isto Anglorum tyranno. Quanquam vero Hen-
rici consilia et gesta Myconio, viro probo et graui, non po-
tuerint non improbari, Myconium tamen Henrico non dis-
plicuisse, ille literis ad Electorem scriptis testatus est. In his
enim multum laudis legatis, Burchardo, Boyneburgo et
Myconio tribuit, quos non solum praestantissimos viros nomi-
nat, sed etiam tam praecclara fanae eruditioinis, prudentiae
ac probitatis non vulgaris, summique in Christianam pietatem
studii argumenta praeftissem, ut eorum consuetudo sibi exti-
terit omnium quam maxime chara et accepta, multis affirmat.
Vim verbi Dei vti in Anabaptistae alicuius, opera sua a pesti-
fero errore reuocati, reprimenda impierate expertus est My-
conius, ita ea sola de prauitate sceleratissimae seditionisorum ru-
sticorum turbae mirifice triumphauit. Non solum enim uni-
versam suam Dioecesin Gothanam partim precibus, partim con-
cionibus pro pace conseruanda, detestando seditionis scelere,
et praestando magistratu obsequio, in officio continuuit, ne
partes perduellium augerent, sed etiam turbam seditiono-
rum, quae Ichtershusii confluxerat, et tres arces Gleichen,
Mühlberg et Wachsenburg, oppugnatum et dirutum, nobis-
lesque familias, quae eas iure haereditatis possidebant, expul-
sum et deletum aduentabat, oratione habita dissipauit, idque
ab eis impetravit, vt tranquilli, nemine laeso, nemine iniuria
affecto recederent. Loquitur vir pietate grauis verbum Dei
omnipotens, regendis flectendisque animis hominum validis-
simum; conticuere omnes, intentique ora tenebant. Haec res
non solum toti regioni magnam attulit utilitatem, sed etiam ca-
lumniam aduersariorum, qui oratores sacros ecclesiae Euangeli-
cae seditionisorum res iuuare, et partes defendere falso et iniu-
cione

riose criminabantur, fortiter repressit, ipso id Myconio experto, cum Corbachius iste, de quo antea, ipsi falso obiiceret, eum concionibus suis nuper rusticorum tumultum excitasse, vbi Anaricus de Wildenfels atrocem illam criminacionem et iniuriam interpellauit, et quanta severitate et grauitate vir pius orationibus suis, adhortationibus et precibus, seditionem inter suos non vi et armis, sed verbo Dei represserit, copiose exposuit.

Visitationi denique ecclesiarum per Misniam et Thuringiam aliquoties interfuit tam illi, quae auctoritate Iohannis ad lustrandas ecclesias anno MDXXVIII. facta est, quam ei, quae rogantibus prouinciarum Ordinibus Vinariae congregatis anno MDXXXIII. iussu Iohannis Friderici instituta est, in qua plerique articulorum, nuper a Strobelio editorum, qui in priori adhibiti erant, repetiti sunt. Decebat quippe eum, qui primus in Thuringia Papatui contradixerat, et Euangelii semina sparserat, ecclesias constituiere, et experiri, quomodo sermo Domini proficiat, et glorificetur apud illos, quos primus omnium Euangelii verbo erudit erat. Fecit igitur hac quoque in parte, quod Apostoli Act. XV, 35. ipseque hac de re impensè laetus, quod Melanchthon et Menio ex Theologorum, et aliquot e Politicorum ordine sociis, omnes ecclesias per totam Thuringiam lustrauerit, et magnam curam, multum studii et laboris iis constituendis impenderit, ut illius operis beneficio quaevis parochia suum pastorem, suosque redditus, vrbs quaevis suam scholam, et quicquid ad ecclesiam bene constitutam requiritur, habeat, votumque pium subiicit: Bone Deus, tuo beneficio bene constituta sunt omnia, da et hoc precibus nostris, vt bene conseruentur!

Fatorum sat iniquorum et tristium perpessione non omnino ab Apostolorum similitudine recessit Myconius. Monachorum inuidia vbique pressus multa nominis Christi causa perpessus est mala. Quinques proscriptus est a Monachis,

et

et per sex menses adeo obseruatus, ut cum nemine loqui, ad neminem scribere, a nemine literas recipere liceret, parumque absuerit, quin perpetuo carceri manciparetur. Quantum inuidiae in eum sibi indulserint Monachi, vel exinde apparet, quod, et si Vinariensis coenobitae testes fuerint ipsi, quantum excelsi illi Principes Iohannes et Iohannes Fridericus, ei tribuerint, quod anno MDXVI. die pentecostes festo primo illis praesentibus et sumtus erogantibus, sacris, consuetis solemnis, iniciaretur, hi nihilosecius, sproto Iohannis mandato, eum miserint Isenacum, deinde Lipsiam amandauerint, tandem Annaebergam, ubi ante fuerat, remiserint, vnde vero, ubi resciuit, vincula et compages se manere, a fugit, et Cygneae asylum inuenit. In vitae discrimen aliquando adactum esse, ante commemorauimus. Tot ac tantis calamitatibus Deus explorauit fidem, pietatem et constantiam viri, quem Lipsiensibus Apostolum dare decreuerat.

Quem dare decreuerat, eum vere dedit magno Reipublicae Academiae et Ecclesiae Lipsiensis commodo. Doctrinam Apostolicam diu anxie desiderauerant ciuium Lipsiensium multi, multa ob id mala a Principe suo Georgio, qui, quantum potuit, ad extremum usque vitae momentum Euangeliu reficit, perpepsi, ut inter omnes constat. Desiderium illud vere pium et sicut Euangelii Deus tandem expleuit mortuo Georgio, et Henrico iure haereditatis defuncto fratri succidente, qui, ut Euangelii erat amantissimus, ita ciues suos coelesti illo munere, quod diuturnis assiduisque precibus a Deo efflagitauerant, bera satagebat. Et si quis alias populus dignum se gessit beneficio Euangelii renascentis, Lipsiensis profecto magnitudinem beneficij illius et perspexisse, et aestimasse, censendus est, quem maximo gaudio ita cumulatum esse, ut plausu laetabundorum et triumphantium ingeminato non solum homines, sed ima quoque soli fundamenta simul exultare viderentur, histori-

XXII

cus haud incelebris prodidit. Tanta enim cum laetitiae, tanta cum pietatis in agendis Deo gratiis, tanta cum reuerentiae erga Deum, huius beneficij auctorem, tanta denique cum amoris Euangelicae veritatis significatione Euangeliū, sibi desideratissimum, exceptit, vt ferreum esse oporteat, qui, dum ista in historiarum monumentis legit, lacrymas contimere queat.

Scimus Lutherum et Iustum Ionam Festo Pentecostes, praesentibus principibus Saxoniae, pro concione in templo arci contiguo, et in Thomano, conciones euangelicas, quae simul eucharisticae erant, ingenti cum animorum commotione habuisse; Lutherum vero statim die post vna cum Principibus vrbe exiisse, et Ionam cum Spalatino et duobus nobilibus ad visitandas et constitutas ecclesias in ditione Henrici allegatum fuisse. Lipsiae, vt ibi rem Euangelicam constituerent, manserunt Cruciger, Myconius, Pfeffingerus et Loyus. Myconius autem Crucigero diutius Lipsiae haesit, et eius auctoritate et nutu gesta sunt omnia in constituenda re ecclesiastica. Ipse partim in historia reformationis, partim in literis ad Elec-torem die XXI. Iunii anni illius datis, et a Seckendorffio Commentariis suis ex autographo insertis, rem exposuit. In illa memoriae prodidit, se, mortuo Georgio, statim cum eius haerede et fratre per vniuersam regionem profectum esse, et vbiique prima Euangelii initia dicendo ad populum fecisse, (quod Annaebergae Dom. Cantate die IV. Maii, se praesente, et coram incredibili hominum multitudine factum esse, Elector literis die XII. Maii scriptis Philippo, Hassiae Principi, laetabundus significauit,) ne populo voce Christi audita, terror incuteretur, vt olim Apostolis, cum in mari superficie grefsum ad eos dirigeret, Lipsiae nouem menses (difficile igitur explicatu esse videtur, qui Seckendorfius in Commentar. III. menses octodecim ponere potuerit) permanuisse, et funda-

menta

menta vniuersae Christi doctrinae posuisse, parochias et ministeria, a laboris illius sociis, Crucigero, Pfeffingero, et Balthasare, nomen fuit Loyi antea commemorati, adiutum constituisse. Impetraverat nimurum ciuitas Lipsiensis precibus ab Electore, vt e Theologis ab ipso, nouo suo Principi, Henrico, commodatis, Myconius per longius tempus sibi concederetur. Petierat antea ab eo Crucigerum, sed preces, in consilium rei prius exhibito Lutheru, eoque Academiam Wittebergensem Crucigero carere non posse, respondente, rata non habuit, commodo magis ciuitati, quam incommodo. De Crucigero enim Seckendorffius narrat, eum Lipsiae natum, et suos ciues intimius cognoscēt, multos tunc ex primoribus Senatus Iusto Ionae indicasse, et hunc ad Electorem retulisse, qui inuiti paruerint; id quod Lipsiensis tum, cum Crucigerum ab Electore sibi peterent, latuisse verofimile est. Petit deinde loco Crucigeri sibi denegati Myconium Senatus, quem a ciuibus mire coli et amari, magnumque ab eo profectum ciuitati sperandum esse, in literis suis ad Electorem affirmauit. A quo id precibus illius impetratum est, vt Myconium ad vnum alterumue annum ciuitati concederet. Hic igitur vt officio suo, et spei ciuitatis de se conceptae, satisfaceret, Apostolatu sibi demandato summa cum laude et Reipublicae Lipsiensis utilitate functus, doctrinae puritatem docendo et disputando restituit, abusus Pontificios et Missam mature abrogauit, Dominica II. Trinitatis, quae erat in fastis dies Iunii XV. ex quo pro concione dixisset, nunciavit, futura die Martis a meridie post concionem de absolutione habendam, confessiones peccatorum auditum, et die post coenam Dominicam sub utraque specie, adhibita lingua patria dispensatum iri, quod et, contradicentibus licet quibusdam, qui magistratum gerebant, auspice Deo factum est; rem liturgicā et sacrorum publicorum rationem et ordinem constitui,

Cate-

XXIV

Catechismus Lutheri ut in scholis et ecclesiis, explicando, concionando, examinandoque indesinenter pertractetur, sua et collegarum auctoritate decreuit et iussit, atque yniuersam rem ecclesiasticam et scholasticam tam bene ordinavit, vt illustris Seckendorffius recte iudicauerit, de hoc viro consummatae pietatis et virtutis gratulari sibi potuisse inclytam Academiam et ciuitatem Lipsiensem, purissima Euangelii luce tum collustratam. Miramur in primis et laudamus in eo prudentiam, qua in ferendis incommodis, quibus tam arduum et graue negotium, vt alia eius generis, premebatur, vsus est. Licit enim essent, quibus totum illud negotium valde displiceret, et mutatio tam subita grauis et molesta esset, qui et ei clam palamue impedimenta, quae modo possent, obiicerent, vehementerque contradicerent, nunc moram, nunc latebras quaererent, et se Georgiani aduersus rem Euangelicam odii alumnos et haeredes esse indicis haud ambiguis proderent, haec, et id genus alia, tamen neque in historia sua, neque in literis ad principem vel verbulo attigit, silentio potius pressit, neminem apud Principem detulit, sed insuper laudavit, illos omnes in perficiendo opere manus auxiliatrices sibi commodasse, satis habens, opus Dei bene successisse, et ad finem perducendum esse longe exoptatissimum. O praeclarum singularis modestiae, patientiae et prudentiae, in primis theologicae, exemplum!

Apostolorum quoque erat ἀντιλέγοντας ἐλέγχειν, vt de falsitate opinionum, quas defendebant, et veritate sententiarum, quas impugnabant, cuius constaret. Nec has officia apostolici partes neglexit Myconius. Conflicandum nimirum ipsi fuit Lipsiae cum Theologis et Monachis, maxime Dominicanis, qui doctrinae puritatem, a qua per omnem vitam abhorruerant, aequo animo ferre non poterant, eiusque restitutionem, quibus modo valebant artibus et viribus impedi-

impediebant. Qui Pontificiorum dogmatum reliquis tenaciores erant, clandestinis persuasionibus, dehortationibus, insurrectionibus Monachorum et Sophistarum, inquit, in Academia fidem potissimum habebant, hique, ut alios in inueterato errore confirmarent, propositiones aliquot de baptismo, transubstantiatione, de praesentia corporis et sanguinis Christi in Sacramento extra eius usum, et contra aliquot euangelicae doctrinae articulos edebant, sibique persuaserant, ut ipse refert, Myconium ad eas haud fore responsurum. Sed respondit disputatione publica die XIX. et XX. Iunii diebus Iouis et Veneris in Auditorio maiori cum Theologis et Monachis, qui D. Matthaeum, ut sibi opem ferret aduersus Myconium et Crucigerum, (verque enim disputatoris partes sustinuit,) quod aduersarios in disputando exercitatissimos, et Theologos consumatae doctrinae, se nactos esse scirent, Halis euocauerant, die Iouis per quinque, postridie ante et post meridiem per novem fere horas producta, praesentibus, ut in literis ad Electorem haber, Academiae Rectore, quem M. Christianum Pistorium, Westerburgensem, fuisse constat, et quem aequie ac Magistros quosdam, bonis argumentis sibi succurrisse praedicat et laudat; Facultatibus omnibus, studiosis cunctis, tota in universum Academia, magna que tum eruditorum, tum ciuium multitudine. Totam rem Pontificiorum tum una concidisse ait, Christum vero cum verbo suo et sacramento, ut auri ex igne novo quasi splendore enituisse, et victoriam reportasse, flores vero e tectis aedium progerminantes igne et splendorē solis verbi ditini exaruisse. Tanta cum laude, tamque felici successu Apostolatu suo Lipsiensi functus est Myconius, docendo, emendando, hortando, confutando, ut dignum profecto sit insigne illud beneficium diuinum, opera tanti viri maioribus nostris praesitum, quod sancta piaque memoria apud gratam posteritatem recolatur.

D

latur.

XXVI

latur. More modoque vere Euangelico, placido nimisrum et tranquillo, non tumultuario, non vi, non minis, sed docendo, confutando, ab erroribus reuocando, rogando, suadendo, hortando, gesta et peracta sunt omnia, ut e sola et nuda rerum, prout gestae sunt, narratione, calumnia Maimburgii de reformatione Lipsiensi in Historia Lutheranissimi prolati repelli possit, Lutherum a duce Henrico Lipsiam euocatum, vna die, vnaque concione Festo Pentecostes habita, statum religionis immutasse, et urbem istam ex catholica, qualis semper fuerit, totam Lutheranam fecisse, indeque apparere, quam infirmum fidei suae fundamentum miserare illaegentes habeant, semper nempe ad mutanda sacra, et amplectendam eam religionem paratae, non quae Deo, sed quae Principibus suis placeat. Tantum eram abest, ut vna die vnaque concione status religionis immutatus sit Lipsiae, ut potius fideli plurium, Crucigeri, Myconii, Ionae, Pfeffingeri et Loyi opera, Euangelium Lipsiae sit propositum, et Myconio in primis per nouem ibi menses commorandum fuerit, donec res Euangelica placide et pacate constituta sit. Cum praeterea inter omnes constet, neminem Luthero coniunctiorem fuisse Myconio, qui Lipsientes reliquis Theologis ab Electore commodatis diutius docuit, eumque doctrinam apostolicam e scriptis Lutheri haustam constanter tenuisse, corrunt quoque, quae Surius olim de reformatione, in primis Lipsiensi, aliis persuadere voluit, Euangelium non prorsus Lutherice, (verbis ipsius vtimur,) ibi regnasse, ideoque a quibusdam Catholicis vocari molles Confessionistas, oppositos scilicet rigidis, qui omnia dicta et facta Lutheri tuenda sibi statuerint. Quis enim Luthero coniunctior fuit Myconio? Quis doctrinae apostolicae a Lutheru expositae et declaratae studiosior, quis defensor eiusdem constantior illo? Haec profecto laus nostro ne a Gotts. Arnoldo quidem denegata est, perpetuo alias

alias aduersario et obrectatore laudum virorum Orthodoxiae fama in ecclesia Euangelica clarorum; hic enim Myconium paucis illis Theologis practicis adnumerat, qui prope soli in tanta doctorum Lutheranorum multitudine ob seueritatem, ardorem et studium in vera pietate, quam leges fidei Christianae praecipient, aliquam nominis famam consecuti fuerint, eumque testem veritatis, quem Deus ad se traxerit per Spiritum S. nominat.

A tam praedclaro tamque probo, et doctrinae, pietatis, virtutisque laude eximia spectato verbi diuini praecone, et vero utilissimoque Apostolo cum maiores nostri Euangelium acceperint, quod, soli id gratiae diuinae acceptum referimus, ad hanc nostram aetatem purum et sanctum in Academia et Ecclesiis custoditum est et conseruatum, officii nostri esse duximus, tanti viri, de maioribus nostris tam praecclare meriti memoriam, gratae in Deum, qui per illum Lipsiam Euangelii luce et splendore collustravit, mentis significatione recolere, memores moniti illius Paulini: μνημονέυετε τῶν ἡγεμένων ὑμῶν, οἵτινες ἐλάλησαν ὑμῖν τὸν λόγον τῇ Θεῷ, ὃν ἀναθεωρεύντες τὴν ἔκβασιν τῆς ἀναστοφῆς, μαζίσθε τὴν πίστιν, Ebr. XIII, 7. Plus enim, quam Lutherò, Melanchthoni, Iona, Crucigero, Froeschelio, aliisque, qui Euangelicam veritatem hic subinde sub auroram lucisque ortum confessi sunt, Lipsiam debere Myconio, vero utilissimoque Apostolo suo, manifestum est. Laudem igitur huius viri, ne ingrati in Deum, omnium beneficiorum, per eum nobis praefitorum, auctorem largitorumque summum videamus, ab obliuione vindicemus, gratissimam nominis eius, laborum et meritorum memoriam retineamus, Deum precati, vt, quod maioribus nostris per illum concessit Euangelii salutaris beneficium, nobisque conseruauit, posteris quoque purum atque intemeratum conservet, nosque in fide apostolica, cuius fundamentum est Christus,

XXVIII

stus, ita confirmet, ut euangelicae apostolicaeque doctrinae corruptionibus et corruptoribus, qui nostra aetate inter nitentia culta ut infelix lolium et steriles auenae dominari gestiunt, obuiam eamus, errores eorum verbi diuini virtute repellamus, aditum ad animos nostros pie et sapienter praeccludamus, nosque monente Apostolo, Phil. 22, dignos Euangelio, eiusque beneficis summis, vera in Deum pietate, morum, qui Christianos decent, sanctitate, et vera atque invicta in retinenda, aestimanda, tuendaque fide apostolica constantia geramus, idque a Deo precibus nostris, a fide in Christum apostolica omnem vim, omne robur nactis, contendere atque efflagitare nunquam desinamus, ut Academiae et Ecclesiae nostrarae veros vtilesque Apostolos, apostolicae fidei et doctrinae laude claros concedat, atque ecclesiae Euangelicae doctores, Lipsiae veram apostolicam fidem edocetos, largiatur quam plurimos, nec permittat, ut exeat (o utram nunquam exiissent!) e nostris Φευδατούσοις, ἐγγάρησθαι, μετασχηματιζόμενοι εἰς ἀποστόλους Χριστού, 2 Cor. XI, 13. Est quidem, quod dolemus, ea fere temporis nostri conditio, quam sui suisse conquestus est olim Hilarius Pictauensis, et quam ita descriptam dedit: "Facta est fides temporum portius, quam Euangeliorum; periculorum nobis admodum, atque etiam miserrabile est, tot nunc fides existere, quo voluntates; ita fides scribuntur ut volumus, aut ita, ut nolumus intelliguntur." Verum nostra, o Deus! nostra doctrina, fides et confessio, sit, maneatque vere apostolica, et potentiae inferni non praevalebunt contra illam! Quo maior in Mycone amor Christi fuit, quo sanctiores, cogitatione Christi eiusque virtutum, conformati mores eius, quo' ardenter zelus in docenda propagandaque veritate Euangelica, quo' firmiter in tuenda fide constantia, eo maiori studio exemplar tanti tamque praeclarri viri, in monumento vere illustri nobis

nobis possumus, intueamur, imitemur, sequamur! Et in primis ut ille nulla re magis, quam memoria Christi eiusque meriti, puritate insuper et integritate sanae doctrinae de Christo, quae nihil insalubre admixtum habet, solatio denique e iustificatione per fidem, quae meritum Christi apprehendit, percepto, delectatus est, ita quidem, ut cor eius ea penitus immersum et quasi ebrium fuerit; ita eius exemplum secuti, scientiae atque eruditiothes omnes postponamus salutari scientiae Christi crucifixi, quem unum et solum nos scire, et gloriae, et laetitiae summae et felicitati nobis ducamus, doctrinam apostolicam et solatio Euangelico plenam, restauratione sacerorum ecclesiae redditam, de satisfactione Christi et iustificatione peccatorum, per et propter illam fidei apprehensam, iis ut haud dispiceamus, quibus, quae Sociniana, aut gentilia sunt, aut naturalistica, magis arident ac placent, quam, quae sunt apostolica, et vere evangelica, non abiiciamus, vel ut gratiam eorum aucepemur, quibus antiqua, licet diuina sint, haud retinenda, sed nota, licet inania sint, in eorum locum substituenda esse videntur, ex ordine et serie veritatum salutarium dimittamus, sed eam, quia est apostolica, constanti fidei professione retineamus, Christo Deo ob eam fidei nostrae propositam, gratias agamus, eam ut sumimum beneficium praedicemus, et operam demus, ut ea cor nostrum quasi immersum, eaque solatii Christiani, ut Myconio fuit, ita nobis in perpetuum summa sit: Vulneribus Christi sit medicina meis!

Nos, quibus beneficium doctrinae Evangelicae, quae fontes illos solatii diuini nobis aperit, diuinitus olim tributum et adhuc conferuatum est, diem illum, quo olim vox apostolica post diuturnum aliquot seculorum silentium denuo audit a est in ecclesia, pie sancteque concelebremus, Deo, huius beneficii auctori et largitori, pias persoluamus grates, in

celebranda diuini huius beneficij magnitudine omnes animi ingenique vires profundamus, atque impense laetemur, nos, qui fidem apostolicam magna animi et oris consensione profitemur, esse ciues sanctorum, qui fide et vita sunt Christiani, esse domesticos Dei, superstructos super fundamentum Apostolorum et Prophetarum, cuius angularis lapis ipse est Iesus Christus. Pii illius maiorum instituti legibus, quae iubent beneficij instauracionis sacrorum memoriam die XXXI. Octobris quotannis recolere, satisfaciet Vir Praenobilissimus atque Doctissimus Dominus MARTINVS CHRISTIANVS POLYCARPVVS KEILIVS, Staucha - Misnicus, LL. AA. Magister Clarissimus, ingenii, doctrinae, pietatis, virtutumque laude ornatissimus, qui memor honoris et felicitatis, se genu ducere a Lutheru, apostolicae doctrinae restauratore, id sibi tam in laude, quam felicitate ponit, se doctrinae vere apostolicae studiosum, gnarum et tenacem esse, et quem ecclesia olim habebit doctrinae fideique apostolicae doctorem eximum et praecolum fidelissimum. Dicet is: *de Parrhesia Lutheri apostolica*, quem ut ILLVSTRISSIMI COMITES, VTRIVSQUE REIPUBLICAE PROCERES GRAVIS SIMI, COMMILITONES GENEROSISSIMI ATQVE NOBILISSIMI, beneuole audire, et sacra solemnia hora XII. illius diei in aede academica habenda, sua praesentia ornare haud dedignetur, verbis decentissimis humanissimisque rogamus. P. P. Dom. XXI. p. Trinit. A. R. S. MDCCCLXXIX.

IONI THEOPHILUS
ET PROPHETAE
JESU CHRISTI
AD PROPHETIA
ANDREAS THEOPHILUS
ET PROPHETAE
JESU CHRISTI



Leipzig, Diss., 1779 K-2

X 237 1913

ULB Halle
005 433 703

3



B.I.G.

Black



DE
FRIDERICO MYCONIO

LIPSIENSIVM APOSTOLO

COMMENTATIO

F R I D E R I C I I M M A N V E L I S
S C H W A R Z I I

S. THEOLOGIAE DOCT. ET PROF. P VBLICI ORDINARII
ET ORDINIS THEOL. H. T. DECANI



L I P S I A E M D C C L X X I X.

LITTERIS LANGENHEMIORVM HAERED.
ET KLAUBERTHIIS.